## *Somniantibus non est adhibenda fides.*

SOmnia, noctivaga elusi phantasmata sensus.
Nam cum membra quies laxat, multoq; soluti
Somno artus, curæq; thoro tacuere sepultæ
Quæ priùs externo subierunt limina mentis,
Interno hæreſcunt sensu; mentita relucet
Effigies, intusq; aspecta resultat imago.
Cum fluidus tenui calor implet sanguine venas,
In venerem, ruit, & cœcos mens cœcior ignes
Ille fretum visus, fluviosq; innare rapaces,
Iam mare, iam miser absorptus, cui frigidus humor
Membra lavat gelida, & pallentes irrigat artus.
Alter Pyramide aeriâ, saxoq; labanti
Pendere, & summas nequicquam prendere turres,
Perq; leves, levior visus dilabier auras,
Mox iterum ingentes circumstrepere vndiq; flammas,
Audit, flamma sinus illi, & præcordia lambit,
Vt, quos corde premit, vicinos somniet ignes;
At contra terrena gravant quam pondera mentem
Dœmona, nescio quem, credit, sed dœmona credit
Horrendo imperium spelæo, & tristia iussa
Exercere, videt stygium (si credere dignum est)
In somnis sævire Iovem, cum nocte cruentas
Divideret leges, dictisq; immanibus vmbras
Vmbras concuteret tremulas, populumq; nigrantem:
Iamq; fugam parat, atque altos præmittere quæstus,
Harent, incertoq; soni cum murmure languent.

ERGO

Qui somno credit, soli quoq; fidat Aprili
Atque austros idem speret, Zephirosq; fideles.

## *Intellectus non est verus priusquam iudicat.*

VErum animus quoties quærit perfectaq; rebus
Distinguit falsis; intus sub mente repostas
Ordine secernit formas, aptasq; futuro
Semina Iudicio: mox omnia pensitat idem
Falsaq; denudat iudex, verumq; reponit;
At cum rerum animus primas ex lumine formas
Accepit nec Iudicii dum in regna remisit,
Apparet veri facies, sed nescia veri,
Quæq; incomplexâ deludit imagine sensus,
Et delusa acies tremula sub luce labascit;
At cum Iudicij solio (cui certa sacrandi
Sceptra animus, verumq; dedit discernere falsis)
Sistuntur species, rigidoq; examine mentis
Libratas animi firmat censura, resurgit
Certum Iudicij lumen, verumq; refulget;
Sic quando furuis cœlum nox implicat vlnis
Omnibus vnus erit vultus, color omnibus vnus,
Perfectum retinent reduci iam sole colorem.

ERGO

Cùm sine Iudicio mixtum mens nescia verum
Spectat, Iudicij solùm sententia firmat.